

cimus, non quod nos simus eorum vestigia subsecuti, sed quod illi de divinis prædicationibus Prophetarum umbram interpolatæ veritatis imitati sunt. Patet igitur ex dictis, ne quidem sapientissimis Gentilium Philo-
phorum resurrectionem mortuorum impossibilem habitam fuisse.

§. 19.

Dices Ad eundem numero hominem non requiritur tantum identitas numerica corporis & animæ, sed etiam identitas numerica unionis illius, quæ quondam animam cum corpore colligabat: Ast vero eadem numero unio non poterit reproduci, quia unio est *modus*. *Modus vero est entitas adeo affixa rei singulari, ut nec esse sine ea nec concipi possit*; Uti jam v. gr. hæc sessio non reproduci eadem sed diversa numero cum quis de novo sedere incipit, ita nec unio eadem numero, sed distincta reproduci in resurrectione mortuorum, & sic non resurget idem numero homo. Sed Respond: (α) non omnino dubitatione carere, an unio ita essentialiter rei singulari adhæreat, ut eadem numero, reproduci nequidem per potentiam Dei absolutum queat. (β) esto tamen, nequeat eadem numero unio restitui, sitque talis restitutio contra essentialitatem ejus, non requiratur ad idem numero corpus, eandem numero carnem, eandem numero animam, identitas numerica unionis, cum hæc illis plane sit extraessentialis sive accidentalis. Neque requiratur ad eundem numero hominem, ut, quicquid, quocumque modo, sive in recto, sive in obliquo, sive ut pars, sive ut vinculum, ad essentialitatem ejus pertinet, idem semper numero maneat. Quia vero unio inferioris entitatis est quam corpus & anima, & cum dicitur homo est corpus, & anima unione juncta, in obliquo tantum ponitur, ideo, etiam novâ adveniente numero unione, modo idem numero corpus, eadem numero anima adsint, eundem numero hominem restitutum esse censendum est.

§. 20.

Sed (II) nec improbabilem esse resurrectionem mortuorum Probatur ex sanctitate summa justitiæ divinæ. Tenor hujus juxta Gentilium opinionem efflagitat, ut benefacta præmiis, contra vero malefacta & scelera condignis pœnis damni dolorisque experimento stipatis excipiantur & penitentur. Sæpe vero numero videas optimos quosque miseriis hujus vitæ totos jacere immerfos, unde ad extremum usque vitæ halitum emergere atque eluctari non possunt.
Contra